



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita Sanctissimae Idae Coniugatæ. Ex ea quæ est per Vssingum,
monachum VVertinensem S. Ludgeri. Quo tempore claruerit patet infrà.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

perseuerans, impollutum Domino redditum; sancti corporis exuias, nobis ad patrocinium derelinquens.

VITA SANCTISSIMAE IDAE CONIUGATA. Ex ea qua est per Vffingum, monachum Wvertinensem S. Ludgeri. Quo tempore claruerit patet infra.

EO tempore quo Carolus Imperator multis victorijs inelytus, Saxonum & Fracorum scepra, multarumque gentium feliciter gubernabat, fuit inter alios Orientis proceres, qui exercitum propter Galliarum seditionem in Occidentem dirigebant, quidam Praefectus Egbertus nomine; qui grauissima in itinere correptus infirmitate, ab ea quam administrabat praefectura, secedere coactus fuit. Porro cum esset praedicto Augusto, praesentis constantis & prudentis opinionem, eximie acceptus, fuit eiusdem cura & studio insigni cuidam Comiti, laudibus humanitatis praeter ceteris ornatisimo, commissus: ut quibuscunque posset beneficijs eum foueret, & medicorum opera ad sanitatem reuocaret. Erat autem Comiti filia vnica, egregia sane forma commodis moribus virgo; quae ab insita humanitate egrotanti die nocteque sedulo seruebat, & congrua doloribus adhibebat medicamina; tanto ipsius praefecti solatio ac gaudio, ut eam si optata salute potiretur, sibi coniugem expetere apud se decerneret.

Interea Imperator, rebus in tutum compositis, victor reuersus, haud immemor amici apud

4. Septem.
a Circa annum Christi.
804. iuxta
C. Baron.
Tom. 9.

Egbertus
Praefectus
Caroli Magni
grauissime
infirmatur.

Humanissime
a S. Ida tractatur.

*Carolus
Imp. eum
visitat.*

Comitem relictū, ciuitatem, in qua decumbebat, visitandi gratia adiit; eumq; viribus nō nihil restitutū, magno animi sui gaudio reperit. Dumque mutuo aliquamdiu colloquio frueretur, illustri vir Egbert^o, post multa humanitatis officia, ab Ida sibi exhibita, Imperatori relata, ait se præfata virginis nuptias vehemēter

Egbertus petiit S. Idam sibi uxorem,

expetere: quapropter se Augustum obnixorare, vt eius consilio, imò Dei auxilio, tā iniquæ & chara conforte potiri mereretur. Princeps ea postulatione gauisus, ilicò parentum virginis tentata voluntate, haud grauatè eorum adeptus est fauorem: quem vt magis etiam magisque incenderet, Præfectum amicum, quantum potentia & diuitijs inclytum, multis insuper possessionibus locupletauit, ornavitque muneribus: quatenus viciniore potentia sociis acceptior factus, nō minori apud illos, quàm in genitrali solo præcelleret dignitate. Insuper etiam cunctis Saxonibus, qui Rhenum inter & VVifurgim maxima flumina inhabitant, ducem præfecit. Post hæc sponsam suam Christianissimam ipse admodum religiosus, cum Dei timore suscepit, secumque deinde in patriam auexit.

Porro dum itineri insistētes perpetuas Deo laudes iubilāt, seseq; mutuo dulcissimis colloquijs ad castū Dei amorem & pietatem inflammanr, venerunt ad locum quendam iuxta Lupiā flumen, qui Saxonica lingua Hirutselt nuncupatur; amoenis constitum nemoribus; ibique inuenta non magna planitie, fixis tentorijs, noctem illam exegerūt. Interea, omnibus alto sopore depressis, venerabilis matrona angelica

Visa S. Idæ, visio-

visione monita est, fore ut ibidem oratorium
 sumptibus construeret: in quo Domino li-
 berius deseruiret, postq; virę huius cursum cõ-
 summatum, eodẽ in loco sepulturam vnã cum
 marito haberet. Hęc ut ab angelo acceperat,
 manẽ facto, marito exponit, sciscitaturq; gra-
 uilabũda, quomodò ea animo illius cederent.
 Accommodat ille verbis fidem, hortaturq; cõ-
 ingen, ut pijs operibus insistere, & cæleste nu-
 men propitiũ illis reddere pergat. Nec mul-
 tò post eodẽ in loco Basilica polito opere con-
 struitur; quæ Virgini Matri & S. Germano E-
 piscopo consecrata fuit.

*Construitur
 Ecclesia in
 honorem S.
 Virginis Mar-
 tris & S.
 Germani.*

Non paucis verò post hęc annis, Egbertus
 Deo hominibusq; charus, ex hac vita in cælum
 migravit. Quo defuncto, beata Ida totum suũ
 amorem in Christum transtulit: deditque ope-
 ram ut cunctis ornata virtutibus, eius oculis
 quam maximè placeret, cuius amore incredi-
 bili ardebat. Itaque ut Christum in eius mem-
 bris foueret, congestas ex annuis redditibus
 opes mox in cælestes apothecas transtulit: &
 pauperes admirandis beneficijs affecit. Con-
 struxerat sibi marmoreum sarcophagum lon-
 gè ante supremum diem; quem duabus quoti-
 diè vicibus, diuersis alimentorum aliarumve
 rerum impensis summo tenus impleuit: eaque
 deindè pauperibus & afflictis hilariter distri-
 huit. Excubiarum mirè patiens orationi diu
 noctuque insistebat: eratque ei summa in-
 primis cura, ut mens cælestibus rebus assiduò in-
 tenta, nullum terrenæ conuersationis pulue-
 rem attraheret. Hinc extrã cellæ, quam incole-
 bat, ianuam, nunquam pedem extulisse fertur:

*Obit Egber-
 tus.*

*Benignitas
 eim in pau-
 peres.*

*Eccè quàm
fuerit soli-
taria.*

nisi dum inopum stipendijs deseruaret. Talibus virtutum insignibus sacrosanctum suum adornauit velamen. Nec non inter agendū cautissimè studuit popularem vitare fauorem: firmissimam in cælis spei anchoram figens, vt ad plenam perfectionis (quæ Deus est) pertingeret charitatem.

His ad desiderabilem finē perductis, molesta vitalium valetudine acriter pulsata, hoc præsensit vltimam. Itaque accito presbytero suo Bertgero nomine, sibi iustis ex causis fidissimo, pluribusque feruis Dei, preces eorū expostulat, vtq; in ipso vltimo diri certaminis conflictu victoriam sibi à Domino impetrèe, profusis lachrymis precatur. Factum est; oratum est; de cælis auditum est; quod iam olim prædestinatum est: sicque illa carnali faece leuata, spiritum amatori suo Christo transmisit. Corpus eius fuit cum pijs laudibus in arcam saxeam, quàm supra retulimus, illatum, & in ipsa porticu, qua se diuino cultui mancipauit, honorificè tumulatum: vbi eius sanctitas & in cælesti regno gloria, maximis virtutum miraculis coruscat.

*Obdormit
feliciter.*

*Bertgerus
presbyter
qualis fuerit.*

Porro Bertgerus (neque enim eximia illius viri sanctitas silentio præteriri debet) ex illorum erat contubernio, quos beata Ida primò de Gallijs secum aduexerat, vir religiosæ conuersationis & probatæ castitatis. Inter cætera namque grauitatis eius insignia, fertur nunquam suis in tectis muliebrem personam commorari aut domesticis vsibus interfuire passus fuisse. Cui etiam ob tantam cordis innocentiam à Deo collatum est, vt extremam

nam vitæ horam præsciret. Nam eo ipso
 die, Missarum ex more sa-
 cramenta consummauit, ac mox Dominico
 insignatus viatico, in ipsis vestibibus sacerdo-
 tibus antè sanctum altare animam reddidit
 Creatori: cuius corpus ob egregium iustitiæ
 meritum, propè Idæ tumbam dignè humatum
 est.

Post hæc autem cùm ipse locus ab alijs hæ-
 reditaria successione possideretur, & ob præsi-
 dentium incuriam vilitatibus obsolescere cœ-
 pisset, continuò benignus Dominus sanctæ fa-
 milie sue merita ad castigationem improbo-
 rum terribili patefecit euentu. Nam præclari
 Comitis Ludolphi amabilis soboles, dum ad-
 hæc in albis ab hac luce raperetur, ad eandem
 Ecclesiam defertur. Et quia sanctæ Dei opinio
 necdum in aperto emicuit, penes eam pusi-
 onem sepelierunt: qui die sequenti de tumulo
 extractus antè ianuam vestibuli inuenitur, in
 quo erat inclusus. Stupefacti, quibus res erat
 commissa, corpusculum denuò pristino loco
 abdidit, quod nihilominus inuisibili ite-
 rum violentia diuinitus proiectum repere-
 rant. Obstinatis ergò animis incassum labo-
 rem præstigijs imputantes, tertia vice vaga of-
 fa recondunt. Sed in vanum vires expendu-
 rant, quia quod hesternò labore fuerat oppila-
 tum, tunc in extremo atrij angulo viderunt
 eualsum. Quo demùm pudore mulctati, ibi-
 dem terræ commiserunt. Hoc prorsus formi-
 dabili portento claruit, quanta prouectione
 beata Ida in cælis vtatur, cuius sepulchrum
 D a v s nullo carnalis corruptelæ fœtore

*Quante sac-
 titate hæc
 matrona ex-
 ierit, effos-
 so illius
 pueri prote-
 statur.*

918 MARTYR. S. VICTORINI EPIS

in terris zelatus est maculari. Quin & anni
Dominicæ Incarnationis 980. cum huius bene-
dictæ Dei matronæ sacra ossa de tumulo in ec-
clesiam essent transferenda, amoto marmoreo
operculo, suauissima mox fragrantia de monu-
mento eructans, tam odorifera adstantes om-
nes iucunditate resperfit, vt liquidò videri
sentirent, ob innotificanda sanctissimæ
merita, illam cælitus esse destinatam.

*Item pra-
clarum hoc
miraculum.*

MARTYRIVM S. VICTORINI EPIS

copi vrbis Amiterninæ. Ex eo quod est apud R.

P. Laur. Surium, in Actis SS. Nerei & Achil-

lei, 12. Maij. Tom. 3. Passus est anno Salutis 100

Clementis Papæ 8. Neruæ Traiani Imp. 1.

*Yesse C. Ba-
yon. Tom. 2.
Annal.*

5. Septem.

CVM Aurelianus Memmij Rufi Con-
sularis filius, Flaviæ Domitillæ Virginis
illustrissimæ ac Christianissimæ spon-
sus, Christiani nominis inimicus, Nereum at-
que Achilleum eius cubicularios eunuchos
(tùm quòd eam virginitatem suam illibatam
Christo conseruare consecrareque essent ad-
hortati ac persuasissent eoque is ab eadem iam
contemneretur, cùm quòd Christiana cum pri-
mis religione spectati, dijs libamina offerre
recusarent) varijs cruciatuum exagitationibus,
Neruæ Traiani Imperatoris quidem
assensu, capitis demùm obtruncatione immen-
sa feritate peremisset; inter alios insuper, aliquan-
to post tempore, ex præmemorata sacrae vir-
ginis domesticis specialibus, & Victorinum
moribus sanè ac generis nobilitate præclarum
comprehendit; vt eum si simulacra nefandis
sacri-

*S. Victorinus
vnu fuit ex
precipuis
domesticis
S. Domiille.*